



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

In eos, qui in ecclesia nequiter se habent. cap. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

tus, In ecclesia quippe carni & sanguini domini communicamus, accedentes ad cœnaculum grande stratū, id est ad altare nomini eius consecratum, ut non nostro, quod exiguum est, sed Christi merito vitam consequamur æternam. In ecclesia deo preces offerimus, dicente domino: Domus mea domus orationis est. In ecclesia per baptismum renouamur, & encarnia facimus dum nouum hominem induimur, qui secundum Christum natus est. In ecclesia peccatorum nobis vincula relaxantur. Hæc est enim stabulum illud, in quod homo a latronibus in via vulneratus, curandus infertur. In ecclesia laborantium, in cœlo requiescit, quibus dicitur: Vos autem contristabimini, sed tristitia uestra uertetur in gaudium. Ecclesia est ergo mulier parturiens, quæ (ut in euangelio scriptum est) tristitiam habet, quia uenit hora eius; cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Tristitia quidem afficitur, dum persecutiones tolerat, siue corporis, siue animi, sed cum ab imis ad superna se transfert, tanto perfunditur gaudio, ut præcedentis angustiarum prorsus obliuiscatur. Quia natus est homo in mundum, hoc est, quia filii ecclesiæ iam immortalitatis natiuitate lætantur, translati de mundo isto corruptibili ad mundum incorruptionis, & de terreno habitaculo ad cæleste regnum. Cuius immensam & ineffabilem gloriam nunc in ecclesia laboribus occupata constituti, cogitatione commiscimus, dum solennia sacra celebramus. Mariam imitando, quæ sedens ad pedes domini, sermonum eius dulcedine pascebatur, ut cum ipsa postea dicere possimus: Vidi dominum, & hæc dixit mihi.

Lucæ. 19.

Iohan. 10.

Lucæ. 10.

Iohan. 16.

Lucæ. 10.

¶ In eos, qui in ecclesia nequiter se habent. Cap. VII.

CAeterum meminisse debemus, illis in ecclesia non esse locum, qui terrenis intenti negotiis, corpus non animum in eam afferunt, ne tunc quidem uanis colloquijs & nugis inutilibus abstinen-

B

Iohan. 2.

res, iocisq; & risu, cum a sacerdote diuina peraguntur. Sciant eos minus fortasse culpabiles fuisse, qui domini flagello eiectione fuerunt de templo, dicentis: Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Illi vero eam latronum speluncam faciunt, qui ineffrenatae libidinis ardore, nulla loci aut sacrificiorum habita ratione, pudicitiae infidantur alienae, vel oris nutu, vel oculorum nictu, vel impudenti aliquo verborum prolatu. Melius cum ihs ageretur, si nunquam domum dei adissent, quam ut ingressi sic in ea, quasi in prostibulo, versari non dubitent. Deterius tamen adhuc peccant, qui ea mente illuc conueniunt, ut simpliciorum fidem perniciosis quaestionibus peruertant, zizania superiacientes, ubi solum est triticum. Hi scindunt tunicam domini inconsutilem, ecclesiae turbantes unitatem, sequi ipsos deprauato scripturarum sensu in errorem implicantes. Longe sese ab his faciat, qui matris ecclesiae, cuius Christus sponsus est, filius esse desiderat.

Iohan. 18

De lege & euangelio.
Cap. VIII.

Luc. 18

Ecclisae vero sanctae fortissimi parietes sunt lex & euangelium. Nihil enim (ut Apostolus ait) ad perfectum adduxit lex. Ille qui Christo domino legis praecipua se custodisse dixerat, audit unum sibi adhuc deesse, ut bonis quae habebat, in usus pauperum distractis, caelestes diuitias parare sibi maturet. Hoc ergo legi deesse apparuit, ut terrenarum rerum cura contempta, caelestibus tantum bonis comparandis inhiemus. Lex enim & prophetae usque ad Iohannem, quae illi praesentem tantummodo felicitatem obseruatoribus legis promittebant. Iohannes autem primus regnum caelorum coepit euangelizare. Atque ideo dicitur, A diebus Iohannis usque nunc regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Tunc enim primum vim intulimus caelesti regno, cum pro nobis pugnante Christo, victus est ille, qui omnes ab Adam descen-

Luc. 16.

Mat. 11